Ex Ms. Arch. Regni.

Mathiæ Goreczki

Generose fidelis nobis dilecte. Probatur nobis diligentia fidelitatis tuæ, quod omnia quæ ad illius Officium pertinebant nobis exacte significavit. Cum itaque fines Regni nostri ab hostium incursione tutos esse speramus, Scribimus Magnifico Nicolao de Szieniava Palatino Bresensi, et exercituum Regni nostri Campestri, ac Haliciensi, Colonienzi Capitaneo, ut is militibus Mercenariis stipendium edicat denuncietque, ut se in domos suas conferant, Magnifico verò Regni nostri Thesaurario scribimus, ut stipendium demeritum, et id quod illis in recessu dari consuevit, juxta aliquam consuetudinem, primoque tempore persolvat, literas verò hasce nostras tam ad Regni nostri thesaurarium, quam ad Bresensem Palatinum per Cubicularium nostrum mittere potiùs nobis visum est, nè sit aliquod periculum in mora, quando quidem fidelitas tua nunc sit Posnaniæ, nec tam cito literæ nostræ inde ad eos perferri possint.

Datum in Knissin.

Rozkazaliśmy Mik. z Sieniawy Wdzie Brz., aby powiedział służbę woyskowym i zapłatę obmyślił.